Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

(1749) Thes. 1449

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 20. Decembris.

M. AMANDO DOUTE', Doctore Medico, Præside.

An diversæ, pro diversis Regionibus, Medendi leges?

MEDICINA nusquam non est. Hujus necessitatem, publica rerum caducarum infelicitas fecit: Dignitatem, suæ artis artifex, simul & materia, ipse homo. Ars illa sospitalis, ritè φιλοσοφία σωμάτων primáque scientia humanæ gentis, ut quævis ars, sui juris est: non inanibus vaga conjecturis, non destituta præceptis, sed Legum vinculis alligata. Ars constituenda nulla sinè Legibus certis, sinè constantibus præceptis stabilis nulla: Corruat planè est operæ pretium, quæ firmo aliquo & stabili principio non innititur. Arti Medicæ, acri contentoque studio primùm quæsitæ, de rudibus initiis in bono lumine collocatæ suæ sunt leges, quibus Illa constans & erecta tot sæculis stetit, retinuit nomen & pondus suæ majestatis. Illæ non artificis arbitrio relictæ, non propitiis temerariæ fortunæ peccatis natæ, sed positæ & fundatæ in Naturæ operum observatione diligenti, fideli eorumdem imitatione. Altiùs jacta sunt Legum Medicinæ fundamenta, justis rationum ponderibus astructa, arte magistrâ ac methodò constructa, longâ temporum meditatione usúque exercitatissimò prorsùs ἀναστύτως. In harum religione severâ artis tutela & integritas, harum cultu præcipuo optimi quique Medici vigent, harum neglectu fiunt ἀνίατοι, fortunæ candidati pessumeunt ferunturque, Docti vicissim fallere & falli, destruendæ arti habiles. Duæ primæ ac summæ Medicinæ partes, ὅ φυσιολογικὸν & θεραπευτικόν. Illa speculatio ac meditatio principiorum & dogmatum, quibus instructa peritia in artem erecta est ac stabilita, totiusque Naturæ scientia. Hæc asserit & probat artificem, quæcunque à principiis manant & derivantur artis præcepta & Leges continet, quibus in faciendâ Medicinâ pro normâ sui operis uti debet artifex: necesse namque est Medico, seu administer ille sit atque operarius, seu imperandi jure usus, seu in arte eruditus, ut opera sua ad Leges referat exigatque, alias tanquam exlex reprehendendus ac castigandus.

DESTRUUNT proindè Medicam artem cujuscunque ævi Themisones, artis fidem, fiduciam valetudinis penè præstant intermorituram fungini generis Thessali, Empirici Thrasones qui nemini refigenda artis dogmata medendo negligunt. Sint Illis nugatoriæ medendi Leges, sinè authoritate, sinè usu Sanctiones veluti dè Scholis Cantilena: firmat exadversùm, & erigit Medicus κῦρ νόμον ὑδ.ληρισμέν⊙, qui Ægrorum saluti, qui Artis nomini & suo consultum velit; novit hic unus mederi lege, non more Tribonico, arbitratu suo res capitis gerere. Haudquaquàm habentur apud Medicos ejusdem ponderis authoritatisque Dogmata quæque, quibus abundat disciplina medendi. ὅτι ἐσὶ δόξα μᾶλλον ὑπέρ ἑτέρας: quæ proximè attinent ad τὰ φῶτα κῦ τέχνω, perpetuæ ipsa constantísque sunt veritatis. Talis hæc summa & æterna lex; contraria contrariis cutántur; ad id quod urget maximè nos semper converti debere; inflammatis visceribus non purgandum. Alia certis quibusdam alligata & circumscripta conditionibus, ambiguæ veritatis, (quia ἀδιακρίτως efferuntur) hujus ordinis est, secandæ in gravidis, alvó fluente, venæ interdictum, cocta medicanda non cruda, nec in principio nisi turgeat materia, quod rarò fieri assolet. Ad effata ἀναιρετικὰ revocanda sunt, quæcunque privatis ac gentilibus notis morborum, ideam, motus, progressiones, varios eventus designant, ac præsignificant, qualia sunt quæ longo usú, artis operum, ac diligenti rerum Naturæ contemplatione sunt pronuntiata Diagnostica, prognostica, therapeutica, veluti spiritus densús dolorem significat aut inflammationem in locis suprà septum transversúm; Quibus febres cessant neque signis criticis apparentibus, neque die judicatorio important recidivam; In loci. Tradi ómnia quæ ars efficit non possunt: Medicus quid in unoquoque valetudinis genere faciendum sit, quibus signis providendum docebit, modò regionum naturam atque indolem, situm ad cæli plagas, differentias locorum, Incolarum mores, victum denique habeat in numerato.

MISERÆ & causariæ conditionis tessera par & eadem Mortalibus. Hanc à morbo vindicare, & oppressam morbi sævitiâ dè integrò servare & tueri, artis Medicæ summa. Artifici non antè datum est id assequi, quam perfectam morborum notitiam habuerit. Nimis empeiricè agit ille, qui ex unâ symptomatum syndrome morbos discriminat, qui ex insolenti aliquo & præter morem casu novos arbitratur; novum hominem reputet Æthiopem, quia non sit concolor. Eadem & constans cujusque singularis morbi indoles, ostendi perpetuò non debet in omnibus. Suum confert singulis symbolum, privata cujusque Natura, instituta vitæ, temporum locorúmque variè mutabilis constitutio. Hinc Endemii Patriique quibusdam populis morbi. Scythis κὶδήματα, Phasianis Ictherus, Romæ Hæmitritæus, Alexandrinis Elephantiasis, Tabes Lusitanis, Iberis Strumæ, Allobrogibus Bronchocele, sub Ursâ Scorbutus, Plica Polonis, Anglis sudor Anglicus. Tales morbi licet alio in solo, insolenti causarum commercio adoleverint, pro novis haud sunt habendi. Eccè, quanquam diversè inclinatus nostro adversús axis in certa mala proclivior immineat, nostris tamen laborat exemplis. Illic eadem impotentia Thasiorum paraplegia inquilina est. Non aliis symptomatis popularis spasmus torquet, paria dysenteriæ tormina alienus in venis humor his excitat, quem Æquinoctialis metæ jugis fervor excoxit horariorum fructuum putris & exundans succus cumulavit, vel usfulani vini potus (quod que santali tæter halitus incendit. Hæret in indicâ impertigine veteris mali pertinax memoria, ipsaque adhuc fœdè venit Græcorum Psora. Quovis sub cœlo nota Sudamina rubentesque papulæ nostros morbillos reddunt. Ab Arthriticis Moluccarum tophi non differunt, nisi tristi fœcunditate quâ verrucarum modo pullulant & extuberant. Si in universum navigemus orbem, eædem planè morborum similium urgebunt querimoniæ. In quacunque terrarum plagâ pares scientiæ, & agendorum Medendo occurrere rationes comperiemus, paria suggeri consilia, paria deduci τὰ σημεῖα πάτε ἀγαθὰ, ἢ τὰ κακὰ ὰ ἀσθένη ὄρρη, κ'ὰν θερμὴ, κ'ὰν ψυχρὰ, κ'ὰν ὑγρὰ.

OPPORTUNE ubique terrarum aderis laboranti, si sit tibi dignoscendi morbum, quod Artis caput est, cura prior; hanc ob causam tibi nullo non tempore facem præferat, agenti det legem indicatio, illa verè promus condus agendorum, omnis artificiosæ methodi medendi promptuarium, undè Medicus habeat sibi, nullâ artis & nominis injuriâ ut rectum clavum etiam naufragus valeat retinere. Hic rerum cardo, hi carceres, undè morbus primùm sese prodit, exulandus persimilia, contraria Idiotis, Medico communi indicatione. Morbi genus omnibus idem, at diversa in uno facies, speciem ταυτότης constituit, dividit accidentium varietas, ad diagnosim illa, hæc ad prognosim & curam. Quæ geris omnia, ad indicationis normam protinùs exigas, præsidiorum necessariam copiam, utilem delectum non morbus, non externa morbi causa nil indicans, sed proxima suppeditabit, usum deinceps pars affecta, quem statuas modum ægri vires, soli, cælique status, Regionis temperies, una cum reliquis coindicantibus, docebunt. Quare frustrà eris si indicatione neglectâ affectuum signa observes, prognosim institues, de remedio temerarius cogites, eventum anxius præstoleris, sic auxilio, sic Medico debita fides detrahitur. Is non annorum pondere famosus & nobilis, non privilegio popularis auræ princeps, sed unus hic germanus habendus, qui remediorum modum, ac opportunitatem scit captare, morbi διάτασιν, Naturæ æmulum novit se præstare. Hæc sola medentem docet, hanc sequere, bonis ægri rebus non insequere, inde ducit ratio, firmat simul & erigit experientia, beat opportunitas, ultimò complet & opus absolvit remediorum parata copia; nec enim unum uni nec omni esse debuit, quando neque unum, nec unus homo, nec itidem morbus, aut vitæ, temporis, loci, cæli, sexûs, status idem. Hac abundare Medici providentis est, mente non audaci, facilitate non vi, sed cum delectu uti sapientis, cui in mente est, non, Agyrtarum more, morbos remediis, sed morbis remedia ex artis Legibus, destinatis cocto consilio indicationibus accommodare. Urget ampliùs necessarias auxiliorum vices nocitura curandi scopo consuetudinis indulgentia, tantò votis mortalium pronius & secundius mutare mutarique ne mutentur. Cæterùm in omnibus licet nemini datum sit ὅ ἀκριβὲς consequi, in singulis ut quàm minimùm peccemus, licet nihil magis à nobis alienum, omnium vota, at desiderata pluribus paucorum prudentia.

SINT licet ἐναντίοις τέχνης, ἐναντίοις ἢ τὰ ἔργα, pari cum legibus politicis fortunâ, Medicinam in caduco fundatam easdem vices non modò ferre, sed flagitare pro temporum locorumque ratione si putas, gradu excidis qui rerum artis & Naturæ sorti sic permittis. In Medicis nusquam desinunt leges, si silent interdum, silent lege, nec mutari Illas ex casu quopiam contingit, sed feriari lege jubentur, stantque etiam tùm cùm videntur afflictæ. Arte simili Orientalibus & Occidentalibus ægris succurendum non est? hos & Illos diversa medendi lege idcirco teneri si existimes, accedas velim, novus sic futurus regionatim tributimque de integro condendæ Medicinæ Vicarius Legislator? Sancitis medendi legibus ubique gentium & terrarum obnoxia semper veniet justa Medicinæ professio, modò, ut fert privatæ medentis operæ ratio, suis sint Illæ circumscriptæ Diorismis. Ullam Medicinæ Legem in singularibus parem & communem frustrà requiras, quorum ex alio in aliud vicissitudo est atque mutatio. Nulla morbi conditio certâ semper tenetur lege, alia atque alia ita requirit agendorum momenta, nihil ut habeat ferè quod sequatur Medicina perpetuum. Adeòne in artis operibus hospes & peregrinus, qui nescis quàm subitæ, quàm multæ, quàm diversæ in ipso operis procinctu Medico incurrunt captandæ occasiones, quibus solis tenetur summa curationis consequendæ: hujus causâ alia atque alia in arenâ consilia sæpe numero capienda, eâdemque stante agendorum indicatione non ad diem modò, sed quovis penè momento remediorum vices deposci; adeo ut quæ putâris prima in medendo, repudies. Suas æger, morbus, locus, tempus remedia sic experiuntur vicissitudines, quas ad artis leges temperare apprimè si noveris, Gentes terrarum omnes iisdem Medicinæ legibus non subduxeris. Cum enim terras omnes omni ditione teneat, communis illa parque omnibus Natura mortalium, eadem hæc cum stirpibus nexa conditione, diversis non venit obnoxia cœli inclinationibus, nascendi vivendique communem sortem, diversis legibus regi alligarique non sustinet; suos Regio quæque non agnoscit municipes, sua cuique divisa constitutáque non sunt jura & decreta municipalis Medicinæ. At hæc supremis Dominæ ubique gentium & locorum Naturæ sancita legibus, non artis Illi famulantis arbitrio, moribusque medentum iniquiùs arrogatò privatæ authoritatis titulò definita. Medendi quippe artem non fecit consuetudo, sed artis modum. Privatis erudita commodis ac malis, acceptas leges non delevit, sed accommodavit; seque ad Illarum exemplar didicit componere, quæ nulli cœlo renuntiant, sed quovis sub axe regnant vigore integrò, quò se Natura inter caduca sustinet, pariaque sanis, ægris, causariis facit & exhibet ubique suæ sollicitudinis argumenta.

Non ergò diversæ, pro diversis Regionibus, Medendi leges.

F.M.P. BIBLIOTHECA

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius Quiquebeuf.
M. Joannes-Michaël Garbe.
M. Bertinus Simon Dieuxivoye.

M. Joannes Boudin.
M. Guido Erasmus Emmerez.
M. Michaël de Hodencq.

M. Ludovicus Morin.
M. Petrus Lombard.
M. Philippus Mathon.

Proponebat Parisiis CLAUDIUS BURLET, Bituricus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1691.